

cunt enim se de condigno mereri gratiam & vitam  
æternam. Hæc est simpliciter impia & vana fiducia.  
Nam in hac vita non possumus legi satisfacere, quia  
natura carnalis non desinit malos affectus parere, &  
si his resistit spiritus in nobis.

Sed querat aliquis. Cum & nos fateamur dilectionem esse opus spiritus sancti, cumque sit iusticia, quia est impletio legis, cur non doceamus, quod iustificet? Ad hoc respondendum est. Primum hoc certum est, quod non accipimus remissionem peccatorum, neque per dilectionem, neque propter dilectionem nostram, sed propter Christum sola fide. Sola fides, quæ intuetur in promissionem, & sentit ideo certo statuendum esse, quod Deus ignoscat, quia Christus non sit frustra mortuus &c. vincit terrores peccati & mortis. Si quis dubitat, Vtrum remittantur sibi peccata, contumelia afficit Christum, cum peccatum suum iudicat maius, aut efficacius esse, quam mortem & promissionem Christi. Cum Paulus dicat gratiam exuberare supra peccatum, hoc est, misericordiam ampliorē esse quam peccatū, Si quis sentit se ideo consequi remissionem peccatorum, quia diligit, afficit contumelia Christum, & conperiet in iudicio Dei hanc fiduciam propriæ iusticiæ impiam & inanem esse. Ergo necesse est quod fides reconciliet, & iustificet. Et sicut non accipimus remissionem peccatorum per alias virtutes legis, seu propter eas, videlicet propter patientiam, castitatem, obedientiam erga Magistratus &c. Et tamen has virtutes sequi oportet. Ita neque propter dilectionem Dei accipimus remissionem peccatorum etiam sequi eam necesse est. Cæterum nota est consuetudo

suetudo